

sciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et
 ripis suis coërceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga
 sensum tuum, non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te: Non
 est malagma apponere, neque oleum, neque alligaturam. Habet
 suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur et gubernatur.
 Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet: et obseretur
 diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, et
 contumeliam rependas contumeliae. Audisti hodie lectum:
 Irascimini, et nolite peccare¹⁾. Ergo etsi irascimur, quia
 affectus naturae est, non potestatis: malum sermonem non
 proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed jugum
 sit verbis tuis et statera, hoc est, humilitas atque mensura,
 ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenae vinculis,
 frenos habeat suos, quibus revocari possit ad mensuram:
 sermones proferat, libra examinatos justitiae: ut sit gravitas
 in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

ORATIONEM NON AFFECTUS PROMAT, SED RATIO. HINC ENIM
 INSIDIAS LOQUENTI TENDIT HOSTIS INVISIBILIS.

Haec si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modes-
 tus. Custodiendo enim os suum et retinendo linguam suam,
 nec prius loquendo, quam interroget, et expendat, atque
 examinet verba sua, si dicendum hoc, si dicendum adversus
 hunc, si tempus sermonis sit hujus; is profecto exercet
 modestiam, ac mansuetudinem, et patientiam: ut non ex
 indignatione et ira in sermonem erumpat, non alicujus pas-
 sionis indicium det in verbis suis, non ardorem libidinis
 flammare in sermone suo indicet, et inesse dictis suis stimulos
 iracundiae: postremo ne sermo qui commendare interiora
 debet, vitium aliquod esse in moribus, aperiat et prodatur.
 Tunc enim maxime insidiatur adversarius, quando videt